



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quinam possunt ferre Leges, & quibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Sive est jus non scriptum, quod libero omnium, aut ferè omnium nationum consensu, & usu receptum, vim obligandi habet. Sic ad jus gentium spectant divisio, & proprietas bonorum, &c. Quare Jus gentium est quædam Lex humana virtualiter, & æquivalenter.

CAPUT I.

De Causa efficiente, & materia Legis humanae?

Q. 1. Quinam possunt ferre Leges, & quibus?

Resp. 1. Leges Ecclesiasticas ferre possunt 1. Papa pro tota Ecclesia, ex Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 2. Concilium Generale etiam pro tota Ecclesia, Nationale pro tota natione, & Provinciale pro sua Provincia. 3. Legatus Apostolicus pro sua Provincia. 4. Episcopus pro sua Diœcesi, licet non consecratus, modò sit confirmatus. Archiepiscopi autem, Primates, & Patriarchæ extrà Concilium possunt pro sua tantùm Diœcesi. 5. Qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut aliqui Abbates pro locis sibi subjectis. 6. Ordines Religiosi in Capitulo Generali; non tamen illorum Præpositi Generales, nisi ex speciali, & expressa concessione Papæ, quæ ordinariè non datur; neque Ordo sceminarum, qui æquè est

est incapax jurisdictionis ecclesiasticæ, ac earum singulæ: ideoque non potest ferre leges propriè dictas, sed solum statuta conventionalia, & obligantia vi voti obedientiæ.

Resp. II. Leges Civiles sancire possunt, Imperator pro toto Imperio, Rex, & quivis Princeps, ac Respublica, superiorem non agnoscens, pro suis ditionibus. Ratio generalis est, quia Episcopi, & Princeps sæculares præpositi sunt Rectores Communitatis Perfectæ: ac proinde habent legislativam potestatem, utpote necessariam ad rectè, ac convenienter regendam communitatem perfectam: nec enim rectè, ac convenienter communitatem perfectam regere possunt, nisi habeant potestatem efficaciter, ac stabiliter statuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi, ut observentur, coercendo, & puniendo improbos, ac rebelles, omnesque in officio continendo.

Not. Qui possunt condere leges, à fortiori possunt ferre præcepta, quæ etiam imponere potest quivis Superior privatus respectu suorum subditorum circa materiam directioni suæ subjectam, nam nemo potest esse Superior sine potestate præcipiendi.

Resp. III. Nemo potest ferre leges, nisi suis subditis, & de rebus suo regimini subjectis; cum nemo habeat potestatem in

non subditos, & circa res suo regimini minimè subjectas. *Potestas Spiritualis, & Secularis utraque deducitur à potestate divina: & ideo in tantum Secularis potestas est sub Spirituali, in quantum est ei à Deo supposita, scilicet in his, quæ ad salutem anima pertinent. Et ideo in his magis est obediendum potestati Spirituali, quàm Seculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati Seculari, quàm Spirituali, secundum illud Mat. 22. reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Ait S. Thom. in 2. Dist. 44. q. 2. a. 4. ad 4. Hinc 1. Principes merè Ecclesiastici non possunt ferre leges, nisi de rebus spiritualibus, & ad regimen Ecclesiasticum: Sæculares verò nisi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus. Principes tamen Sæculares, quos Deus sancta fidei, Ecclesieque Protectores esse voluit, ait Trident. Sess. 25. c. 20. ut tales possunt, & debent fidem, Ecclesiamque tueri, & curare, ut ejus leges observentur, ut monet S. Leo Leonem Imperat. Epist. 75. Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesie presidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.*

2. Imperator non potest ferre leges pro regio.

regionibus, quarum non est Dominus Jure feudi, vel alio titulo; & sic regiones illæ non tenentur legibus Justiniani, aut aliis imperatoriis, nisi eas adoptaverit supremus Princeps, vel consuetudo.

3. Nemo potest ferre leges contrarias legibus sui Superioris. Quia potestas inferioris non prævalet, imò subest potestati superioris. Sic Episcopus non potest ferre leges contra jus commune, vel legem Papæ.

Q. 2. *Quid potest statuere Lex humana?*

Resp. I. Non potest quidquam statuere contra legem divinam, sive naturalem, sive merè positivam. Nam potestas humana est subordinata potestati, ac voluntati Dei, & inferior non potest derogare juri superioris, quò spectat illud Act 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*

Resp. II. Homines possunt multa præcipere, vetare, aut irritare, quæ nec lege naturali, nec positivâ divinâ præcepta, vel vetita, aut irrita sunt. Constat 1. Ex præxi, nam multa legibus humanis statuuntur, quæ lege divina naturali, aut positivâ sic statuta non sunt; quæque suppositâ lege humanâ obligant, ex lege divina naturali, & positivâ generaliter præcipiente, ut subditi justis superiorum præceptis obtemperent. 2. Quia legislator humanus habet